Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25953
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uidete quantum sit culmen mentis. Unde hoc nisi quia
confortatus est principatus eorum. Sed sic forsitan magni
pauci sunt. subiunxit. Dinumerabo eos. et super harenam
multiplicabuntur. Totum mundum fratres aspicite martyribus
plenus est. iam pene tot qui uideamus non sumus quot ueritatis
testes habemus. Deo ergo numerabiles. nobis super harenam mul
tiplicati sunt. quia quanti sint a nobis comprehendi non possunt.
Sed quisquis ad hanc peruenit dignitatem ut amicus dei
uocetur. sese in se conspiciat. dona autem que percipit super
se. nichil suis meritis tribuat ne ad inimicicias erum
pat. Unde et subditur. Non uos me elegistis sed ego elegi uos.
et posui uos ut eatis et fructum afferatis. Posui ad gratiam.
plantaui ut eatis uolendo. fructum afferatis operando.
Eatis enim uolendo dixi. quia uelle aliquid facere iam mente
ire est. Qualem uero fructum afferre debeant subditur. Et
fructus uester maneat. Omne quod secundum presens seculum labora
mus uix usque ad mortem sufficit. mors namque interue
niens fructum nostri laboris abscidit. quod uero pro eterna uita
agitur et iam post mortem seruatur. et tunc apparere
incipit cum carnalium laborum fructus ceperit non uideri.
Ibi ergo illa retributio inchoat. ubi ista terminatur. Quis
quis ergo iam eterna cognouit. apud eius animum tempora
les fructus uilescant. Tales ergo fructus operemur qui ma
neant. tales fructus operemur qui cum mors cuncta inte
rimat ipsi exordium a morte sumant. Nam quod a morte
incipiat fructus dei. testatur propheta cum dicit. Cum dederit